

sufferre posset, sed tandem omnia susque deque ruere ac S. Ser^{tem} a paganis et christianis omnem internecionem expectare oporteret.

Cum haec igitur omnia ita sese habeant et S. Ser^{tas} Deo teste nihil aliud sibi a fidelibus suis subditis pollicetur, quam quod et ipsi ex christiano zelo eiusmodi S. Ser^{tis} conatus adiuvere et promovere sicut et omne illis imminens malum fideliter avertere non intermissuri sint, idcirca S. Ser^{tas} in Dei nomine pro archiducali eius autoritate hoc communiter statuere et firmiter decernere voluit:

(1) quod nimirum deinceps in omnibus suis suorumque adhaerentium catholicorum statuum civitatibus, oppidis, dominiis, villis et locis, nullo excepto, solummodo nostra orthodoxa ipsa catholica christiana Romana religio exerceatur

(2) et contra eam ab adversariis confessionistis ex baronum et equitum numero, qui hic habitabunt, liceat nimirum unum atque alterum concionatorem verae Augustanae confessionis habere, qui solum illis, eorum uxoribus, liberis⁷⁾ ac familiae⁸⁾ in domo provinciali concionari ac eorum sacramenta administrare possint, ita tamen ut neminem alium admittant et alias nulla iura parochialia neque praedicando neque baptizando neque ullo alio modo exercere valeant.

(3) Demptis pro tertio aliis et videlicet illis baronibus ac equitibus, qui ruri habitant, his quoque licebit dictos concionatores ad se vocare vel alios conducere et eorum opera itidem solum pro se, suis uxoribus, liberis et familiis uti, alios tamen vicinos nullo pacto allicere vel si sponte venirent admittere possint.

(4) Pro quarto Ser^{tas} S. quoque serio mandat et imperat, ut neque S. Ser^{ti} neque suis adhaerentibus catholicis ullum deinceps impedimentum in collatione et confirmatione beneficiorum ab advocatis fiat, sed sicut iis ante 100, 60, 50, 40, 30 et 20 annos usi sunt ita etiam eisdem in futurum pacifice et libere utantur et fruantur absque ulla dictorum advocatorum molestia, qui in ecclesiis vel earum pertinentiis nihil plane iuris habebunt, nisi quod illis de iure canonico et politia Caesarea concessum est.

(5) Ad haec et quinto S. Ser^{tas} quoque serio praecipit, ut quicquid his superioribus temporibus ecclesiis ipsis ablatum est, id eis intra bimestre in solidum restituatur et deinceps nihil omnino tale sub gravi eius Ser^{tis} indignatione attentetur.

⁷⁾ *In der deutschen Fassung sind hier die Frauen und Kinder nicht angeführt.*

⁸⁾ *Für familia steht in der deutschen Fassung gesindt.*